

Quaestiones de Pseudo-Hegemonii scripto  
*Adversus haereses,*  
fueritne e Graeco fonte translatum

GEORGIUS DI MARIA

Pseudo-Hegemonium eum auctorem appellare solemus, ut inter rei peritos satis constat, cuius scriptum vir doctus Ludovicus Traube mense aprili anni MCMII<sup>1</sup> detexit, cum codicem antea ignotum, nunc inter Monacenses asservatum (München, Bayerische Staatsbibliothek, *Clm* 28136, cui siglum *M* inditum est), sibi comparavisset, atque princeps edidit<sup>1</sup>. Qui codex saec. XIII<sup>i</sup> in., ex quanam terrarum parte oriundus nescimus<sup>2</sup>, non solummodo *Actorum Archelai* Latinam interpretationem pleniorum continet (cum scriptum eius continuum, nec quidem excerpta, ferat et capita duo postrema quibus reliqui careant<sup>3</sup>), verum etiam, quod hic nostra maximopere interest, brevem haeticorum catalogum (*Adversus haereses*) Hegemonio ipso paulo seriore, quem inter Hegemonii subscriptionem (*EGO Egemonius sc(r)ipsi disputationem istam exceptam ad desc(r)ibendu(m) uolenti|b(us)*, f. 62<sup>vb</sup>) eiusdemque titulum, qui finem operis indicare solet (*Explicit altercatio S(an)c(t)i | Archelai ep(iscop)i contra Manen Heresiarcham*, f. 63<sup>fb</sup>), insertum habet<sup>4</sup>. Ceterum hoc de quo agitur opusculum nullo alio ex codice nobis innotuit<sup>5</sup>.

---

<sup>1</sup> Traube 1903, 60-67. Vd. etiam editionem secundam (utrumque opus continentem), quae est Beeson 1906, 537-540.

<sup>2</sup> Cf. Hauke 1986, 37: «Herkunft unbekannt. Ludwig Traube vermutet italienischen Ursprung». Catalogus hic Pseudo-Hegemonium inter scripta minime annumeravit (neque inter auctores), quamvis etiam ad virorum doctorum opera remittat qui de Pseudo-Hegemonio egerint.

<sup>3</sup> *Act. Archel.* 67,8 - 68,5 (*et coadmisceri — laetitia discesserunt*).

<sup>4</sup> Imagines quoque lucis ope expressas huius codicis, ut par erat, inspeximus, quas viri mulieresque in Bibliotheca Bavarica (Bayerische Staatsbibliothek) codicibus asservandis praepositi benigne nobis transmiserunt (quocirca eis ingentes referimus gratias), quibus inspectis percipere nobis licuit quam diligentissime librarii scripta et *Actorum* et Pseudo-Hegemonii disposuerint. Maximam inibi advertimus curam esse adhibitam litteras, sive nigras sive rubras, via ac ratione disponendi, atque viridem quoque colorem positum ad signa intrinsecus implenda atque ad transitiones significandas, ubi tituli capitum exarati

Haec ergo capita, idcirco quod Hegemonii operi inserta sunt, Pseudo-Hegemonii nomine vulgo nuncupantur<sup>6</sup>. Hegemonius autem verus is est cuius Graecum scriptum nobis nisi per interpretem Latinum non innotuit, de quo pauca eademque indirecta apud Photium in *Bibliotheca* legimus, qui desumpsit ab 'Heracleano episcopo Calchedonis'<sup>7</sup>.

Ludovico igitur illi Traube editionem principem in lucem vulganti, cum de capitum additiorum aetate ageret, visum est statuere, quia Hegemonius verus saeculi IV<sup>i</sup> ineuntis esset, Hegemonium contra ementitum hunc, qui inter haereticos Photinum quoque atque Luciferum Apollinaremque recensisset, ad saeculum IV<sup>um</sup> exiens seu ad V<sup>um</sup> iniens pertinuisse<sup>8</sup>. Neque aliter Adulfum Harnack legimus hac quidem de re sensisse<sup>9</sup>.

---

sunt. Ubi tamen transitio ab *Actis Archelai* ad Pseudo-Hegemonium *Adversus haereses* fit, scripta animadvertimus magis inter se coniungi quam separari. Etenim quo loco scriptum alterum desinit, incipit alterum, ibi punctum solummodo ad litterarum pedem positum est atque post punctum capitalis littera; at scriba, cum sibi minime deesset copia signorum quibus usus iam esset (atque esset usus) ad transitiones significandas, verbis continenter exaratis nullam interposuit versuum distinctionem (neque ulla signa quae de operis initio lectorem commonefacerent) ut, quem versum a syllaba *b(us)* scribere coepisset, Pseudo-Hegemonii verbis impleret (*exceptam ad desc(r)ibendu(m) uolenti|b(us). Veteres heretici p(ro)pe modum om(ne)s diuinita|tem* eqs.).

<sup>5</sup> Exstat quidem Hegemonii affinis quidam codex, Casinensis, Abbatiae videlicet, 371 (cui siglum C inditum est), littera Beneventana saec. XI<sup>o</sup> exaratus, inter eos annumerandus qui maximam *Actorum* partem nobis tulerint. Deest tamen eius operis postremum folium, ut nobis comperire non liceat num continerit Pseudo-Hegemonii capita haec necne (cf. Traube 1903, 536: «Dem Anscheine nach fehlt im Casinensis das letzte Blatt»).

<sup>6</sup> Sub titulo *Adversus haereses*, ut in editione novissima viri docti A. Hoste (Hoste 1957) et in *CPL* sub n. 122. In *Thesaurus* vero *linguae Latinae* nullum titulum peculiarem, sed *Appendicis* nomen adhibitum videmus: *Acta Archelai, appendix*, quod ita per compendium significatur: 'ACT. Archel. App.'

<sup>7</sup> Phot. *Bibl.* cod. 85 p. 65a-b Bekker: Ἀνεγνώσθη <Ἡρακλειανοῦ> ἐπισκόπου Καληθδόνος κατὰ Μανιχαίων ἐν βιβλίοις κ'. [...] Καταλέγει καὶ ὅσοι πρὸ αὐτοῦ κατὰ τῆς τοῦ Μανιχαίου συνέγραψαν ἀθεότητος, Ἡγεμόνιον τε τὸν τὰς Ἀρχελάου πρὸς αὐτὸν ἀντιλογίας ἀναγράψαντα. Ceterum de Hegemonio et de eius opere contra Manichaeos quod *Acta Archelai* inscribitur cf. *RE* 7,2, 2599, s. v. *Hegemonius*; *NP* 5, 234-235, s. v. *Hegemonios*.

<sup>8</sup> Traube 1903, 545-547.

<sup>9</sup> Harnack 1904, 548-549.

Considerandum tamen est quid Ludovicus Traube de incerto hoc auctore *Adversus haereses* insuper senserit: capita codici Monacensi, de quo supra, addita cum eis quibus apposita essent *Actis* dixit optime congruere quia, ubi in *Actis* series haereticorum defecisset, eandem seriem incertus de quo agimus auctor continuavisset. Quod cum attente perpensum esset, investigato etiam dicendi genere utriusque auctoris (interpretis videlicet Latini *Actorum* atque auctoris opusculi *Adversus haereses*), sibi persuasit appendiculam hanc sub Pseudo-Hegemonii nomine appellatam ab ipso *Actorum Archelai* interprete Latino scriptam esse eamque idcirco «Nachtrag des Übersetzers» coepit nuncupare, cum aetatem auctoris, licet posteriore, ab interpretis aetate haud multum discrepantem esse arbitraretur<sup>10</sup>.

Cuius argumentis fretus Ioannes postea Mercati, cum idem ei quoque videretur interpretes (Hegemonius) atque auctor (Pseudo-Hegemonius), ad Rufinum Aquileiensem haec omnia referebat, interpretem haud incognitum, cuius *Expositio symboli* haeresiarcharum elenchum continet cum hoc partim congruentem<sup>11</sup>.

Aliam prorsus sententiam eandemque repugnantem protulit Carolus H. Beeson (1906): dum enim et *Acta Archelai* et in ea appendicem, id est Pseudo-Hegemonium (perpaucis mutationibus allatis) edit, indicibus etiam confectis demonstravit quid ab illis hic differret, ut diceret non pauca esse verba a Pseudo-Hegemonio adhibita quibus *Acta* carerent scribendique genere alterum ab alteris non raro discrepare. Ea de causa denegandum esse unum eundemque fuisse auctorem, cum opus maius ab Africa allatum videretur, minus vero verisimiliter Romae a lectore quodam additum qui consulto ad *Archelai Acta* complenda exaravisset<sup>12</sup>.

Quod pertinet ad scripti condicionem, Pseudo-Hegemonii *Adversus haereses* codice uno traditum (Monacensi, de quo egimus) legi potest atque intellegi, quamvis non desint obscuri loci neque asperitates, quae auctori possint tribui<sup>13</sup>. Ubi enim scriptum nimis breve est, perdifficile fit

---

<sup>10</sup> Traube 1903, 544 et 548. 'Terminus a quo' habetur liber *De viris illustribus* a. 392 editus, quo apparet doctissimo Hieronymo Hegemonii versionem hanc Latinam minime notam fuisse (Hier. *vir. ill.* 72). Minus vero certus est 'terminus ad quem', Nestorii condemnatio inter Concilium Ephesinum a. 431 prolata, quae neque statim viguit neque apud omnium terrarum Christi fideles.

<sup>11</sup> Mercati 1904.

<sup>12</sup> Beeson 1906, XVII-XVIII.

<sup>13</sup> Tractatus brevis *Adversus haereses* haec potissimum inspiciatur editio:

auctoris indolem cognoscere atque dicendi genus, ut vel difficilium sit constituere utrum inconcinnitates a traditione corrupta ortae sint an ab eo qui opus condiderit.

Quod ad scripti originem pertinet, sententias virorum doctorum iam recensuimus: Ludovicum Traube virum doctum putavisse scriptum hoc *Adversus haereses* a Latino interprete *Actorum* exaratum, virum vero doctum Carolum H. Beeson a lectore Romano. Neuter, immo vero nemo inter eos qui nobis innotuerunt, secum quaesivit atque investigavit fueritne huic quoque auctori Latino fons Graecus, ex quo idem, haud secus atque Hegemonii veri interpres, in Latinum sermonem converterit. Nobis vero haec opinio magis arridet quam lectoris cuiusdam Romani (vel ab alia qualibet urbe oriundi) qui scriptum Latine conceperit.

Insunt enim loci Graecitatem redolentes (seu, sit venia verbo, Graecismi) plures, qui pro operis brevitate sufficiant ut nobis persuadeamus Pseudo-Hegemonium quoque, quem Latine habemus, vel totum vel magna ex parte a Graeco fonte derivatum. Qui sunt:

327,5<sup>14</sup>: *de iusti Dei* = ἐκ (τοῦ) Θεοῦ δικαίου

Praepositionem *de* genitivum casum secutum Graecus fons facile explicat; iunctura vero haec tota legitur in *Clementinis* (*Clem. ep. Petr.* 10,5).

327,8-9: *Valentinus vero et ipse* = Οὐαλεντίνος δὲ καὶ αὐτός

Haec quidem iunctura, ex nomine constans verbisque quae sequuntur δὲ καὶ αὐτός, tempore Graecitatis Romanae, quae dicitur, inde a Parthenio frequens fit: Ἀπόλλων δὲ καὶ αὐτός τῆς παιδὸς πόθῳ καιόμενος κτλ. (Parth. 15,3) et Diodorus Siculus: Ἄννων δὲ καὶ αὐτός ἐκ Καρχηδόνας [...] ἦλθεν (Diod. Sic. 24,11,1 = Philini fr. 4 *FHG Müller*); qui usus inter Christianos scriptores ita invalescet ut firmus ac diuturnus fiat. Praecursores fuerunt Herodotus (verborum ordine non exacte respondente): Ἐγὼ δὲ καὶ αὐτός ὁ Ἀρίστων οὐ μετὰ πολλὸν χρόνον κτλ. (Hdt. 6,69) atque Isaeus: Ἐγὼ δὲ καὶ αὐτός, ὧ ἄνδρες, οἶμαι δεῖν κυρίας εἶναι τὰς διαθήκας κτλ. (Isae. 10,22,5).

---

Hoste 1957, 325-329 (auctoris scriptum), 585 (index biblicus), 592 (index nominum verborum locutionum).

<sup>14</sup> Prior videlicet numerus paginam editionis viri docti Hoste indicat, alter lineam; editionem vd. quae est Hoste 1957, 325-329.

327,15: *anni numerum habet* = τὸν (τοῦ) ἐνιαυτοῦ ἀριθμὸν ἔχει

Nullum alium locum novimus quo verbum temporale *habendi* idem significet, numerum ‘intra seipsum continere’; Graece vero inter cogitationes de numeris saepe verbum temporale ἔχειν adhibitum videmus, ut rei proprium videatur. Cf. exempli gratia Irenaeum illum Lugdunensem qui inter Pseudo-Hegemonii fontes annumerari potuit: Ἐπίσημον ὀγδοάδα ὑπάρχοντα, καὶ ἔχοντα ἐν ἑαυτῷ τὸν ἅπαντα τῶν στοιχείων ἀριθμὸν [...] Ἔνθεν καὶ τὰ διπλᾶ γράμματα τὸν ἀριθμὸν ἐπίσημον ἔχειν φησίν. [...] Καὶ διὰ τοῦτό φησιν αὐτὸν α καὶ ω, ἵνα τὴν περιστεράν μνηύση, τοῦτον ἔχοντος τὸν ἀριθμὸν τούτου τοῦ ὀρνέου (Iren. *haer.* 1,8,7 et 11)<sup>15</sup>.

327,17: *hoc defuncto* = τούτου (δὲ) τελευτήσαντος, τελευτήσαντος (δὲ) τούτου

Constructio haec absoluta pronominis demonstrandi cum participio verbi temporalis (verbi τελευτάω praesertim) adeo propria est Graecorum auctorum, inde ab aetate classica, quae dicitur, usque ad Christianos, ut exemplis non egeat.

328,39-42: *proclamant [...] quod quorum diversa natura est, similes eos esse non posse, itaque Filium et Patrem [...] dissimiles esse* = ὁμολογοῦσιν ὅτι/ὡς ὧν διαφέρουσα ἡ φύσις ἐστίν, ὁμοίους αὐτοὺς εἶναι οὐ δύνασθαι, τὸν Υἱὸν οὖν καὶ τὸν Πατέρα ἀνομοίους εἶναι.

Locus hic, fatebimur, si solus sit, hic adduci non possit ad Graecum influxum demonstrandum, quod conflatio haec propositionis declarandi cum infinitiva (ubi coniunctionem *quod* infinitivus modus verbi temporalis sequitur) Latinitatem iam penetraverat; sed ubi frequentes sunt loci Graecitatem redolentes, nemo erit quin videat Graecam dictionem hic quoque verisimiliter subesse<sup>16</sup>.

<sup>15</sup> Graecismus hic, a Latino genere dicendi prorsus alienus, scribae persuasit duplex esse subiectum, ut mendum *simularunt* (pluralem numerum pro singulari) admitteret.

<sup>16</sup> *Dissimiles* maluimus scribere quam *dissimilis* — contra codicis lectionem admissum — quod typhothetarum errore ortum videtur (328,42); ὁμολογοῦσιν autem exempli gratia scripsimus ubi multa similia praesto erant paene idem significantia. «Die Verbindung von *quod* (*quia, quoniam* [...]) mit Acc. c. Infin. findet sich oft im Spätlatein, namentlich bei den Eccl. und Vulgärschriftstellern [...]» (Hofmann-Szantyr 1965, 578, ubi exempla

Cum haec ita sese habeant, locus quidam coniectura emendatus iterum inspicere proderit ac recognoscere:

328,38: *haec in tria scinditur* ita inde ab editione principe, Carolo H. Beeson apud Ludovicum Traube tali modo coniciente; lectio vero *exciditur* codice Monacensi tradita Graeco verbo temporali τέμνω, si servetur, respondeat, qui usus ad optimam Graecitatem pertinet: *haec in tria exciditur* = αὕτη εἰς τρία τέμνεται. Nobis ergo par videatur atque commodius *exciditur* suo loco restaurare, cum verisimiliter formam primigeniam scripti huius Graecis formis scatentem exprimat<sup>17</sup>.

Cum haec ita sese habeant, potuit e Graeco sermone etiam derivari

327,1: *propemodum omnes*

quae iunctura rarior intra fines Latinitatis forsitan σχεδὸν πάντες exprimat.

Ad elenchum nostrum locorum hoc postremum adnotabimus, e formis Graecissantibus quas supra descripsimus unius (327,8-9) fontem

---

plura — post locum Ulpiani, qui antiquissimus grammaticae auctoribus visus est; nonne de Tribonianismo, qui dicitur, *Digestorum* agitur? — a scriptoribus ecclesiasticis III<sup>i</sup> saec. excerpta afferuntur). Eiusmodi constructio, ubi propositio declarandi simul est atque nomen subiectum in accusativo casu positum, nemo est qui nesciat intra fines Graeci sermonis quam apud optimos auctores frequens sit nec difficile est credere versiones a Christianis in lucem prolatas atque evulgatas effecisse ut Latinitatem quoque penetrarent. Vd. *LSJ*, s. v. ὅ τι or ὅτι: «ὄ. is also used pleon. with the inf. and acc. (cf. ὡς B. I.I), εἶπον ὅτι πρῶτον ἐμὲ χρῆναι πειραθῆναι κατ' ἐμαυτόν (which is in fact a mixture of two constr.) Id. [sc. Plat.] *Lg.* 892d, cf. *Phd.* 63c, X. *HG* 2.2.2, etc.»; *LSJ*, s. v. ὡς: «a sentence beginning with ὡς is sts., when interrupted, resumed by ὅτι, and vice versa, X. *Cyr.* 5.3.30, Pl. *R.* 470d, *Hp.Ma.* 281c; so ὡς with a finite Verb passes into the acc. and inf., Hdt. 1.70, 8.118: both constructions mixed in the same clause, ἐλογίζετο ὡς .. ἦττον ἂν αὐτοῦς ἐθέλειν .. X. *Cyr.* 8.1.25, cf. *HG* 3.4.27».

<sup>17</sup> Hic ergo verbo temporali *excidendi* significatio est «dissecandi, in duas pluresve partes diffindendi sim.» (*Thll* 5,2, 1243,67-68, s. v. *excido*). Sit forsitan qui contra dicat *exciditur* a *scinditur* derivatum, cum frequentes essent sive exeunte aevo antiquo sive per saecula posteriora, quae mediae aetatis nomine appellare solemus, vulgares pronuntiatius prothesibus faventes, ubi *e-* praepone-  
retur litteris *sc-*; vd. Schuchardt 1867, 338-340.

quī servatus sit, licet incerte, indicari posse. In *Refutatione enim omnium haeresium* Hippolyti, haeticorum nomina pluries videmus iunctura quae ex nomine proprio constet verbisque δὲ καὶ αὐτός. Ita in libro VII<sup>o</sup>: Ἄπελ<λ>ῆς δέ, καὶ <αὐτός> legitur τούτων <μαθητῆς> γενόμενος, οὕτως λέγει κτλ. (Hipp. *haer.* 7,38,1); atque in libro VIII<sup>o</sup>: Τατιανὸς δὲ καὶ αὐτός, γενόμενος <μὲν> μαθητῆς Ἰουστίνου τοῦ μάρτυρος κτλ. (Hipp. *haer.* 8,16,1)<sup>18</sup>; sic etiam in libro X<sup>o</sup>, ubi celerior est transitio (sicut apud Pseudo-Hegemonium) ab haeretico alio ad alium: Βασιλείδης δὲ καὶ αὐτός λέγει εἶναι θεὸν οὐκ ὄντα κτλ. et post caput unum: <Ι>ουστίνος δὲ καὶ αὐτός ὅμοια τούτοις τολμῶν οὕτως λέγει κτλ. (Hipp. *haer.* 10,14,1; 10,15,1). At de Valentino potissimum, cum de eo simul atque de schola eius esset tractaturus, aliam verborum formulam auctor praetulit: Ὁ δὲ Οὐαλεντίνος (καὶ οἱ ἀπὸ τῆς τούτου σχολῆς εἶναι λέγουσι τὴν τοῦ π(α)ντός ἀρχὴν Πατέρα (Hipp. *haer.* 10,13,1). Quod efficit ut suspicemur, nisi Hippolytus ipse inter fontes Pseudo-Hegemonii fuerit (quippe qui ob brevitatem suam ab Hippolyti longioribus explicationibus valde differat), hanc transitionis formam in Graecis haeresiarcharum catalogis antiquitus passim adhibitam esse<sup>19</sup>.

Quae cum ita sint ut conati sumus exponere, persuasum iam habemus Pseudo-Hegemonii scriptum *Adversus haereses* inter circulos seu Graecos seu Latinos defensorum fidei Christianae Manichaeos haeticosque oppugnantium non fuisse ex integro Latine compositum sed a Graeco fonte aut totum aut magna ex parte conversum. Satis enim apparebat interpretem, quamvis studuisset fontem ut orator interpretari, in soloe-cismos nonnullos vix tolerandos incidisse atque in formas Graeci sermonis proprias, a Latino vero alienas eique repugnantem.

#### Index librorum:

Beeson 1906 = Ch. H. Beeson (ed.), *Hegemonius, Acta Archelai*, Leipzig 1906 (GCS 16).

---

<sup>18</sup> Supervacaneum forsitan videatur μὲν suppletum esse. Haec inter exempla advertetur editorem Marcovich non semper constantem adhibuisse interpun-gendi rationem.

<sup>19</sup> Hoc quoque ut coniectaremus in mentem nobis occurrit, fieri potuisse ut Pseudo-Hegemonius catalogum brevem (quem ἐπιτομὴν Graece appellemus) per Irenaei compedium atque Hippolyti confectum prae oculis haberet, in quo formula ex nomine haeretici constans atque e verbis δὲ καὶ αὐτός de Valentino quoque adhibita esset. At satis sit dixisse quod nunc nullo modo potest probari.

- Harnack 1904 = A. Harnack, *Geschichte der altchristlichen Literatur bis Eusebius*, 2, *Die Chronologie*, 2, *Die Chronologie der Litteratur von Irenaeus bis Eusebius*, Leipzig 1904.
- Hauke 1986 = *Catalogus codicum manu scriptorum Bibliothecae Monacensis*, 4, *Katalog der lateinischen Handschriften der Bayerischen Staatsbibliothek München*, 7, *Clm 28111-28254*, beschrieben von H. Hauke, Wiesbaden 1986.
- Hofmann-Szantyr 1965 = M. Leumann - J. B. Hofmann - A. Szantyr, *Lateinische Grammatik*, 2, *Lateinische Syntax und Stilistik*, von J. B. Hofmann, neubearbeitet von A. Szantyr, München 1965.
- Hoste 1957 = A. Hoste (ed.), *Ps. Hegemonii Adversus haereses*, in V. Bulhart (ed.), *Eusebii Vercellensis Episcopi quae supersunt*, Turnhout 1957 (CChL 9), 325-329 (scriptum), 585 (index biblicus), 592 (index nominum verborum locutionum).
- Mercati 1904 = G. Mercati, *Rec. Traube 1903*, «ThRev» 3, 1904, 107-110.
- Schuchardt 1867 = H. Schuchardt, *Der Vokalismus des Vulgärlateins*, 2, Leipzig 1867.
- Traube 1903 = L. Traube, *Acta Archelai. Vorbemerkung zu einer neuen Ausgabe*, «Sitzungsberichte der philosophisch-philologischen und der historischen Klasse der K. B. Akademie der Wissenschaften zu München», 1903, 533-549 (= L. Traube, *Acta Archelai. Vorbemerkung zu einer neuen Ausgabe*, in *Vorlesungen und Abhandlungen*, hrsg. von F. Boll, 3, München 1920, 60-67).

*Abstract:* After a short account about the state of the research on Pseudo-Hegemonius *Adversus Haereses*, the author focuses on the present condition of the text and makes his considerations on the genesis of the booklet as the result of a translation, here and there quite literal, from probably one Greek source, perhaps from a heresiological synthesis in Greek that was not preserved. From that point of view, some decisions taken by former editors are perhaps worth to be reconsidered, such as a conjecture that seems to become superfluous.

GEORGIUS DI MARIA  
giorgio.dimaria@unipa.it